



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

V. Iac. Sadoletvs Episc. Carpent. Antonio Prato S.R.E. Cardinalis S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

tere scribendo non nihil possum hominum de me & de ipsa virtute beneficiorum memoriam: totum tuæ laudi & amplitudini deservo. Etenim hanc voluntatem meam si non fueris alpernatus, dabitur aliquando nobis locus, ubi memorem me tuorum erga me meritorum & tu ipse agnoscas, & ventura posteritas intelligat. Vale amplissime patrone, & tuo patrocinio nos fouere ne desine. Carpent. VII. Idus Sept. M. D. XXVIII.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.

Antonio Prato S. R. E. Cardinali S. P. D.

QVIA notum est meum erga tuam amplitudinem studium, & incredibile tui nominis obseruantia: ideo fit, vt quidam homines, de tua in me vicillim voluntate coniecturam facientes, cupiant tibi per me commodari. Quibus ego profectò hoc officium humanitati debitum non negabo: dum illud prius tesser, in cunctis quecunque a te petiero, ita mihi cupere morem gerit: si ea tibi & facilia factu, & æqua atq; honesta esse videbuntur. Ioannes Fraxinus, qui has literas tibi reddidit, cuius est Auenionensis, imprimis honestus & bonus, mihi autem, & sua causa, & suorum necessitariorum ac cognatorum, quos ego mirificè diligo, valde charus atque iucundus. Is ad nostrum hoc vitæ genus, & ad sacerdotalem ordinem aspirans, cuperet ecclesiastica aliqua veltigalia consequi: quod difficillimum sibi putat fore, nisi sacerdotiorum in regno obtinendi aliquam facultatem sit nactus. Eum porò arbitratr se tua vnus ope atque auxilio consequi posse: inque eum tuæ bonitati, beneficentiæ, humanitatiq; commendando: vt per te, perq; tuam gratiam ac benignitatem, optatum eorum votorum consequatur. Quod facilius efficere poteris, quod & ipse mediocria postulat, & tua etiam limitandi ac detrahendi futura est potestas. Ego, si hoc in illum beneficium meæ commendatione adductus contuleris, non mediocri me ipsum beneficio abs te affectu esse arbitror. Erit enim hæc significatio tuæ erga me voluntatis, non modò honori mihi & ornamento apud hæc nationes, sed animo etiam meo præcipuè gratæ quippe qui fructum meæ in te summæ obseruantia summique amoris non alium prorsus quero, quàm amorem ipsum tuum: quo vt perpetuò dignus sum, omnibus meis studiis atq; officiis diligentissime prouidebo: tuorumq; erga me meritorum memoriam grata semper recordatione prosequar. Tu vt nos diligas, habeasq; in numero tuorum, omni animi cura & studio abs te peto. Vale. Carpentoraci, XV. Calend. Martij, M. D. XXIX.

IAC.